

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Nachträge und Berichtigungen zu Bd. 1 - 3. Register zu Bd. 2, 3 und 4,1

Schulte, Aloys

Straßburg, 1898

1180 - 1181

[urn:nbn:de:bsz:31-326727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326727)

tectis ipsius ecclesie et claustris, que jam pre nimia vetustate et negligentia custodum consumpta instanti reparatione egebant, debeat^a sine contradictione expendi, altera vero ad relevandas fratrum necessitates deputetur de cetero et tertia custodie relinquatur, ut exinde debita sacris altaribus luminaria ministrentur. ne autem successione temporum aut subtilitate malignantium confundi valeat aut in alios usus converti, quod ab eisdem fratribus pro ecclesie necessitate circumscripta moderatione ordinatum esse dignoscitur, sub certa distinctione^b sapienter voluerunt transmitti ad noticiam posteriorum, quid ad custodem, ad reparationem claustris et ecclesie vel ad usus fratrum debeat pertinere. porro custos habebit carratam vini et 20 quartalia hiemalis frumenti, ad quem nihilominus pertinebunt ortorum decime et omnis oblatio thuris et cere et quicquid parochiani ipsius ecclesie^c vel alii pro remedio animarum suarum sibi duxerint conferendum.^d medietas quoque oblationum, quas in auro vel argento occulte sive manifeste offerri contigerit, ad ipsum sine aliqua dubitatione et contradictione spectabit; altera vero pars earundem oblationum deputabitur ad officia ecclesie et claustris et thesaurum ipsius ecclesie restaurandum. reliqua autem tam in vino quam in frumento et censu ad omnes usus fratrum spectabunt et ad supplendos prebendarum defectus, sicut eis visum fuerit, expedientur. sane ipse custos altaribus choro refectorio atque cellario juxta antiquam ecclesie consuetudinem luminaria ministrabit et campanarum qualis^e ecclesiam decuerit instituet, cui in victu et vestitu secundum morem ecclesie providebit. attendentes, quod prefati prepositus et canonici ad honorem omnipotentis dei et decorem domus sue proveniente spiritus sancti gratia talia studuerunt ordinare, prescriptam ordinationem de communi fratrum eorundem assensu pro commoditate ecclesie rationabiliter factam ratam habemus et auctoritate legationis, qua fungimur, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. ad petitionem ipsorum fratrum, sicut ipsi perhibuisse^f noscuntur, sub terrore anathematis prohibemus, ne quis contra ipsam ordinationem venire audeat aut eam rescindere cujuslibet^g audacie temeritate presumat, nisi ejusdem ecclesie fratres pro evidenti necessitate et qualitate temporum aliter de communi consilio duxerint ordinandum.

B aus Strasßb. Bez.-A. G 4903 Statutenbuch v. St. Peter von 1560 fol. 21^e u 22^e. Die zeitliche Bestimmung ergibt sich aus der für das Jahr 1180 bezeugten Anwesenheit der genannten päpstlichen Legaten in Deutschland und der Nennung des als electus bezeichneten Bischofs Konrad v. Straßburg, der den bischöflichen Stuhl vom December 1179 bis zum December 1180 innehatte.

5. *Papst Alexander III bestätigt die inserirte Urkunde seiner Legaten über die Einkünfte der Custodie des Straßburger St. Petersstiftes. 1181 Mai 18 Frascati.*

Alexander episcopus servus servorum dei dilectis filiis preposito et canonicis sancti Petri Argentinensis salutem et apostolicam benedictionem. ea, que a fratribus nostris canonice et provide statuta^h [sunt], decet nos inviolabiliter observare et,

a) B debeant. b) B distractione sapientie. c) B parochia in ipsius ecclesiam. d) B conficiendum. e) B qualem. f) B prohibuisse. g) B cuilibet. h) B statutum.